



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

2. Cur homini libertas arbitrij à Conditore data?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

## CAPVT XI.

*Aliunde relictorum Deo maiorem curam esse, etiam noui Testamenti exemplis, hoc est, ex Incarnationis, Passionis, & missionis S. Spiritus mysterio ostenditur.*

I.



Yrus potentissimus, & quondam nobilissimus Persarum rex, præstans ingenio atque imperij gloria, cum Persæ, vt refert Plutarchus, cuperent, pro suâ montanâ & asperâ, planam & mollem regionem occupare, non permisit, quòd diceret: *Ut plantarum semina, sic hominum vitas regionibus similes fieri.* Ita mihi videtur etiam diuina sapientia iudicasse: iudicauit enim præstare, vt non omnia sint in mundo plana; & aded censuit, meliùs esse de malis bona elicere, quàm mala, in Mundo, non permittere. Inter summa autem mala est peccatum, fons & radix omnis mali. Ante Mundi creationem, homo, æternùm retro, nihil erat. Ex eo nihilo, velut è tenebris in lucem, ita in suam naturam & vitam productus est, forma, specie, proprietatibus, & omnibus ornamentis naturalibus dotatus. Inter quas dotes, cum & ratio esset atque intellectus, quibus ad similitudinem & imaginem Dei accessit, statuit eum diuina bonitas sibi etiam similiorem reddere, & ad statum supernaturalem extollere. Quare naturæ illius gratiam, velut auro gemmam, superaddidit, vt eum ad altiorem ordinem, statumque diuinum eleuaret; in quo, naturalibus donis instructo etiam bona diuina communicarentur. Itaque, præter infusam naturalium rerum cognitionem, etiam fide illum diuina ornauit, qua Deum, tanquam finem quoque supernaturalem supremamque beatitudinem suam obiectiuam, cognosceret: spe eum instruxit, vt ex Elysijs illis campis, & amabili, sed terreno Paradiso, ad maiora cœlestiaque gaudia, meliore flamma incensus anhelaret: charitate diuinâ inflammavit, vt cor illius, siderei ignis vi, sursum ferretur: iustitia originali decorauit, vt omnes illicitos motus haberet in potestate; denique, ne vllum decus deesset, nulla illi virtus defuit. His tantis auxilijs firmatus æternam vitam, planissima via, erat aditurus, si voluisset.

II.

Quia verò nihil coactum est gloriosum, libertas arbitrij est illi relicta. In æquilibrio positus, quò libuit, potuit se se sponte incli-

inclinare. Hinc vel laus, vel vituperatio omnis. Arbitrio videnti vel prœmium, vel pœna decernitur. *Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria eterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino, ideo bona promissa semper duratura.* Hac de causa *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum, in manu consilij sui. Adiecit mandata & prœcepta sua: si volueris, inquit, mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi; quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione.* Igitur arbitrij libertas homini à Conditore est data, non solum, ut etiam hac imaginem & similitudinem Dei præ se ferret; sed etiam, ut præclarior esset gloria, quam mereretur, & non coactis laboribus partam acciperet. Bestias, etiam si sudent, & plus, quàm vlli homines, laborent, nemo censet honore dignas; carent enim libertate, qua laudem honorémque mereantur. Quapropter multa sapientia Dei fuit, in homine creando, quem tantum non fecisset, si liberum non fecisset; etiam si fecisset sempiternæ beatitudinis capacem. Posuisset enim eum in cœlo, sine suo merito, & sine spontaneæ servitutis gloria, fecisset gloriosum; sicut si truncus, qui pedibus ire non potest, alienis manibus, in regio palatio collocaretur; quem nemo laudat, quòd eò se ipsum pmòrit.

Eccli. 31. 16.

Eccli. 15. 14.

Hunc ergo talem tantumque hominem, diaboli invidia, III,  
atque fallacia euertit, & per peccatum, è supernaturali statu, in exitium præcipitavit. Hoc enim casu, in quantum malum non devenit? Amisit diuinam charitatem; perdidit cœlestem gratiam; iustitiam originalem exuit; induit maledictionem & animi & corporis, sicut *diploidem*: omnium virtutum (excepta fide & spe, ut Pl. 103. 29.  
resipiscere posset) fecit iacturam: denique æternæ salutis naufragium passus in Oceanum cecidit omnium calamitatum. Vnde & singularis illa Dei protectio directioque illi subtracta est: & appetitus cepit recalcitrare, frânóque rationis excusso, tanta fuit ad malum proclivitas, ut iam nihil propemodum, nisi peccare posset; tanta vis & libido cupiditatis ad delinquendum, ut à nullo, nisi solo Deo, posset sisti & coërceri; tanta imbecillitas ad ipsas etiam naturæ leges obseruandas, ut, sine cœlesti auxilio gratis suppeditato, obseruare eas non posset. Itaque & iure cœlestis gloriæ ex-